

bani, qui jurejurando obstricti illam indicaverint. Insuper etiam concedimus omnem terram, de qua contentio fuit inter castrum Noni, & Roccam, atque propter illud quod supradicta Ecclesia habet in comitatu Bredolensi, quod nos etiam dicto Episcopo pro beneficio accipimus, donamus ei totam illam terram, quæ glarea dicitur hoc est quidquid habere videmur a medietate Tanagri fluminis usque ad castellum de la Rocca cum 50 lib. ita tamen ut portus semper in nostro jure permaneat. Etsi Episcopus in sua ripa molendina facere voluerit faciat, & portum alium in alio loco si voluerit constituat; nec nostri nostrum ripatum suo portui prohibeant. Remittimus etiam contentionem de la Vicia sicut finitum fuit inter Dominum Petrum Marchionem, & Episcopum Ingonem. Hæ omnia sicut prædiximus, remittimus, concedimus, donamus remota omni nostra, nostrorumque heredum, ac proheredam contradictionem per bonam fidem, & sine malo ingenio.

*Donatio Bonifacii marchionis quondam
Othonis facta Uberto Aquensi Episcopo
prædii in Lanerio.*

27

MLXXX.

Anno Dom. Incarn. MLXXX. die lunæ quod est XI. cal. aug. in castro de Ceva. Ego Bonifacius marchio filius quondam Othonis, qui professus sum ex natione mea lege vivere Salicha una cum præsentia bonorum hominum, quorum nomina subtus leguntur tradiderunt Domino Uberto sanctæ Aquensis Ecclesiæ Episcopo, ejusdemque Ecclesiæ nominative mansum unum situm in loco, qui dicitur Lanerio cum ædificiis, & rebus omnibus ad eum pertinentibus cum arvis suarum, terris arabilibus, sive omni territorio ad eum pertinente, qui est rectus, & gubernatus per Arpertum, atque Anselmum liberos homines ut faciant ipse Dominus Episcopus, ejusque successores a præsentis die de ipso manso proprietario nomine quidquid voluerint sine omni contradictione ipsorum qui supra Bonifacii marchionis &c. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis MXC. indiēt. XIII. interfuerunt testes Dominus Albertus de Lanerio Guido Judex, Dominus Azzo de Rupecula & multi alii. Et ego Anselmus de Tresio Notarius hanc chartam scripsi.

*Donatio Uberti Episcopi Aquensis Ecclesiæ
S. Crucis Mortariensis de duabus Ecclesiis
loci Lanerii.*

28

MLXXXIV.

In nomine sanctæ, & individuae Trinitatis. Ego Ubertus Dei gratia sanctæ Aquensis Ecclesiæ quamquam indignus Episcopus consilio, & assensu Canonicorum nostrorum, atque Dominorum, & Vicinorum loci Lanerii pro mercede animæ nostræ, & nostrorum, tam prædecessorum, quam successorum tradimus, donamus, & canonicè concedimus Ecclesiam S. Johannis, & Ecclesiam S. Michaelis, quæ sitæ sunt in loco, & fundo Lanerii, Ecclesiæ

S. Crucis Mortariensis in manu Domini Oberti viri utique Religiosi præfatæ Ecclesiæ præpositi: ut Mortariensis Ecclesiæ tam denominatus Præpositus, quam sui successores habeant, teneant, & quiete possideant, atque sine nostra, nostrorumque successorum, vel alterius spiritualis, secularisque personæ contradictione, aut molestia, eas pro voluntate sua disponere facultatem obtineant: salvo tamen jure Aquensi Ecclesiæ, & Christianorum Episcoporum ibidem Deo militantium. Præterea fratres in præfatis S. Joh., & S. Michaelis Ecclesiis pro tempore Deo servientes canonicam vitam ducere, & canonicas institutiones Mortariensis Congregationis servare a nullo prohibeantur. Donationes vero, quas prædicti Domini eisdem Ecclesiis contulerunt, & imposteriorum ab eis, vel ab aliis collatæ fuerint, vel possessiones, quas juste acquirere poterint laudamus, & Episcopali auctoritate corroboramus, & sub tutela nostra, & successorum nostrorum catholicorum suscipimus. Quicumque autem ausu temerario contra hanc decreti nostri paginam ire præsumperit, & aliquid eorum tam de jure Ecclesiastico, quam de bonis temporalibus, quæ in eis continentur quoquo modo infringere tentaverit censuræ Ecclesiasticæ terrore corrigatur, & donec rescipiscat, Excommunicationis perpetuæ subjaceat, & sicut Apostolus dicit sit anathema, maranatha, & ut hoc firmius teneatur propria manu roboramus, & subscripsimus. Ego Ubertus Episcopus subscripsi. Ego Wido Cantor Præbiter, & Can. subscripsi. Ego Anselmus Diaconus subscripsi. Ego Petrus Aquensis Ecclesiæ Præpositus subscripsi. Ego Petrus Diaconus subscripsi: *extant ligamenta sigilli in fine.*

*A tergo S. Joh., & S. Michaelis de Laneriiis
Aquensis Diocesis.*

*Jura Ecclesiæ Aquensis, & Monasterii
Sancti Petri in Casanova.*

M C.

29

In nomine Domini, ac Salvatoris nostri Jesu Christi die lunæ qui est octavo mensis octobris. Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam retinendam qualiter Dominus Azo venerabilis Episcopus Aquensis Ecclesiæ fecit pactum & conventum cum Domino Abbate Ioannis de Monasterio sancti Petri de Burgo civitatem Aquis & monachis, nec non & cum Domino archipresbitero Uberto de Ecclesia sanctæ Mariæ civitatem Aquis, & cum canonicis ejusdem Ecclesiæ scilicet quod Dominus Azo consensu & voluntate prædicti Abbatis, & archipresbiteri dedit, & investivit homines de Casanova de sedimina & pascua & mansibus in loco de Montebono ut habeant a præsentis die libere & absolute sine mea & successorum meorum conditione, & ipsi debeant facere fidelitatem Domino Episcopo ad custodiendum, & defendendum castrum de Montebono, & debeant facere vauram & casticum, & clausuram ejusdem castri, & supradictus Episcopus debet defendere, & custodire supradictos homines quemadmodum & suos. Supradictus Abbas & monachi & archipresbiter & canonici habeant, teneant, & possideant supradictos homines de Casanova pacifice & quiete cum omni honore sicut